



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. V. Qua ratione auxilium supernaturale, siue habituale siue actuale
vnà cum potentia concurrat ad productionem actus supernaturali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

sive semper esse eiusdem ordinis cum parte causa debiliore; & in hoc sensu facit quidem ad rem, sed generatim sumptum est aperte falsum. ut patet in exemplo leuantium illud pondus; imò etiam in exemplo habentis quidem perfectam vim motuam, claudicat tamen ob defectum tibiā; cuius ingressus est quidem imperfectior, quam esset, si tibiā esset recta: est tamen melior quam esset, si virtus motiva esset tam imperfecta in suo genere, quam tibiā sit in suo. Fallit igitur illud antecedens, quod dicitur: quia causa ita vnam integram constituunt, ut vna alterius virtutem agendi augeat, siue ita ut simul constituant virtutē agendi perfectiorem, quam vna sola per se habeat: tūc enim semper effectus est perfectior, non solum quam sit virtus agendi partis inferioris, sed etiam quam sit virtus agendi partis perfectioris: nam supradicti non solum leuant pondus vt 20. sed vt 26.

38 Illud igitur antecedens solum est verum, quando vna pars causa non adiuvat modo iam dicto vim agendi alterius: ut sit in syllogismis (in quibus scilicet solis hoc axioma habet propriū locum) in quibus præmissæ non augent mutuam certitudinem, nec constituunt vnum antecedens certius, quam sit minus certa propositio secundum se sumpta; & consequenter nec simul sumptæ constituunt maiorem vim probandi, quam sit inferioris propositionis certitudo secundum se sumpta. atque ita solum se mutuo iuvant ad constituendam ipsam consequentiam: quæ per vnam solam propositionem constitui nequit.

D V B I U M V.

Qua ratione auxilium supernaturale, siue habituale, siue actuale, vna cum potentia concurrat ad productionem actus supernaturalis?

39 **N**Ota, nos hic non agere de illa questione quam tractant Molina in sua Concordia disp. 36. & Suarez de Auxilijs l. 3. cap. 4. n. 16. scilicet vtrum gratia præueniens, prout significat præcisè illustrationem intellectus, aut motionem voluntatis diuinitus immisam, immediate physice influat in actum liberum, sicut asserit Molina: an verò solum inclinet potentiam in actum; opusque præterea sit singulari Dei influxu suppletente vicem habitus, quo potentia ad productionem actus eleuetur, ut asserit Suarez. Quæ questio ad materiam de gratia spectat; nec eius explicatio hic nobis est necessaria. Solum ergo quaerimus, vtrum auxilium diuinum, quo potentia ad producendum actum supernaturalem eleuatur, (siue hoc consistat in habitu, siue in actu vitali non libero, siue in aliqua qualitate transeunte à solo Deo in nobis producta, ut aliqui volunt, siue in singulari Dei concursu) & ipsa potentia tamquam causa partiales ipsum actum supernaturalem ita producant, ut vtrique pars immediate in eum effectum influat? Quæ difficultas nobis hic explicanda fuit, ut supra dicta clarius possint intelligi.

Bañez r. p. qu. 12 a. 5. dub. 2. ad 5. Alvarez de Auxilijs disp. 64. & 85. & quidam alij Thomistæ putant actum supernaturalem immediate produci à solo habitu aut gratia supernaturali, tamquam à principio formali immediate in actum influente, ita ut potentia secundum se, siue vi sua naturali immediate nullo modo influat, sed solum mediante auxilio supernaturali, sicut aqua calida rem aliam calefacit mediante calore sibi inexistente; ut ait Bañez supra; vel, ut alij volunt, sicut secundum multorum sententiam distinguuntur potentias ab essentia animæ, hæc per illas actus suos vitales producit.

Probatur Primò, quia illi actus sunt se totis supernaturales: ergo potentia naturalis nullo modo secundum se immediate potest in eos influere. Consequentia patet, quia potentia secundum se est omnino improporcionata, ut influat in eiusmodi actum; ergo hoc fieri nequit.

Secundò, quia aliàs perfectior potentia cum equali auxilio produceret perfectiorem actum: atqui hoc est falsum (ut patet in visione beatifica, quam omnes habentes æquale lumen gloriæ æqualem produciunt): ergo etiam id, unde hoc sequitur, est falsum.

Tertiò, quia aliàs actus supernaturalis non esset totus tribuendus gratiæ, sed partim huic, partim libero arbitrio; quia produceretur partim ab hoc, partim ab illa; sicut quando duo trahunt eandem nauem, tractio partim tribuitur vni, partim alteri: atqui illud est falsum. nam Patres & Concilia tribuunt totum actum gratiæ, arguuntque Semipelagianos quod dicerent opera bona partim produci à gratia; partim à libero arbitrio: ergo etiam falsa est ea sententia, ex qua hoc sequitur. Minor patet ex Augustino l. 1. de Prædestin. sanct. c. 2. & 7. vbi reprehendit Semipelagianos quod actum fidei non tribuerent totum gratiæ, sed ex parte etiam libero arbitrio. & l. 2. c. 6. ait: *Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Similia habent alij Patres.

42 Ex hac autem sententia inferunt, fieri non posse ut Deus sine vlllo habitu, aliæ qualitate voluntati intrinseca, solo suo singulari concursu, vna cum voluntate immediate producat actum vitalem supernaturalem: quia cum voluntas non possit immediate per se in eum influere, Deus deberet cum solus immediate producere; atque ita ille actus non esset vitalis; quia non procederet à potentia vitali.

Ut autem facilius oppugnent sententiam eorum qui dicunt auxilium supernaturale & potentiam simul immediate influere in actum supernaturalem, tamquam duas causas partiales, sicut cum duo eodem fune trahunt eandem nauem, aiunt eos docere, liberum arbitrium producere vnam partem illius actus, & alteram partem produci à gratia: sicut dum domus extruitur, aliis murum, aliis tectum conficit. Itaque semper argumentantur, quasi fieri nequeat ut duæ causæ partiales immediate ad productionem vnius effectus ita concurrant, ut effectus, etsi non totaliter, tamen verè totus procedat à singulis; ita ut neutra aliquid in eo producat,

quod non producat etiam ab alia; atque ita illa causa sint quidem partiales partialitate causa (quia simul vnam integram causam constituent) non tamen partialitate effectus; quia non producant singula diuersas huius partes, sed singula totum. Hoc enim fieri posse vel ex ipso exemplo quod adferunt, debuisse discere: quando enim duo eodem fune nauim trahunt, ita ab utroque simul & nauis tota trahitur, & eius motus totus producit, ut nulla pars sit assignabilis aut nauis, quae non ab utroque trahatur; aut motus, quae non ab utroque producat.

43 Similiter quando duae candelae producant idem lumen, hoc ita totum à singulis produci-
tur, ut nulla sit eius pars, quae solum ab vna producat. Quod hac ratione clarè demonstrari potest: nam illa candelae aequaliter illuminatiue in puncto v. c. A distante quatuor pedibus ab utraque, producant maius lumen, quam vna sola aequalis virtutis, in equali distantia produceret. Ponamus ergo quod singulae per se in eo puncto producerent lumen vt 4. & coniunctae producant vt 5, aut 6. tunc autem nulla erit causa cur vnus gradus potius producat ab vna, quam ab alia, praesertim si simul tempore accendantur, aut illi loco admoveantur. Ergo lumen secundum omnes suos gradus à singulis produceretur. Idemque est quado auxilium supernaturale vna cum potentia producat actum supernaturalem: hic enim ita totus ab utraque causa produci-
tur, ut nulla possit in eo pars assignari, quae non producat ab utraque. Vt Molina, Suarez, alijque qui hanc sententiam tuerentur, sapè expresse docent. Quod illi qui eos oppugnant, non potuerunt non aduertere: sed id dissimularunt; quia clarè videbant auctoritates Patrum quas contra eam sententiam ita exaggerant, nullam contra eam sic explicatam habere vim.

44 Nec refert quod aliqui ex dictis Auctoribus dicant liberum arbitrium esse causam illius actus, quatenus est vitalis; gratiam verò esse causam cur sit supernaturalis: per hoc enim non significant, eum secundum diuersas partes, à diuersis causis produci (hoc enim ipsi aperte negant) sed solum indicant diuersos modos, quibus dicta causa in eundem effectum influant, ratione quorum effectus diuersimodè denominatur. Nec dicta eorum verba significant diuersas partes ipsius actus (cum ipse se toto, & secundum omnem sui partem sit & vitalis & supernaturalis) sed solum significant diuersas rationes, sub quibus hic actus possit considerari, & diuersimodè denominari. Simili modo, ut bene docet Molina in sua Concord. disput. 31. §. Ad tertium; actio nostra mala nullo modo habet à Deo quod sit actus talis speciei, & tamen habet ab eo concursu vniuersali influente, id, quo est talis speciei: quia ab eo ita habet omne suum esse, ut tamen ille nullo modo sit causa cur hæc sit actio talis speciei. Quae quia aliqui confundunt, in grauissimas difficultates incidunt: ea tamen plurimum distingui clarissimo exemplo potest ostendi. Videmus enim quotidie duas naues eodem vento motu directè contrario moueri: quo casu totus vtriusque motus

produci-
tur à vento, & hic est causa totius motus, quatenus est quidam motus: quod tamen illa potius moueatur in Occidentem, quam in Orientem, & altera contrà, ventus nullo modo est causa, sed solus nauiclerus partim morione elauit, partim obliquatione veli.

Secunda sententia hic esse posset huic planè contraria, scilicet illum actum immediatè totaliter produci à sola potètia, ita ut gratia ad eum solum concurrat mediatè, quatenus potentiam corroborando efficit, ut hæc perfectiùs in actum influat; sicut quidam cibi, aut etiam vehemens alicuius rei apprehensio solent quandoque ita vires corroborare, ut quis aliquid facillè faciat, quod ei aliàs esset impossibile. Potest autem hæc sententia probari Primò, quia hæc actio est secundum se totam vitalis: atqui hoc esset falsum, nisi totaliter procederet à potentia vitali: ergo hoc dicendum est.

Secundò, quia actus supernaturalis non solum est in se perfectior, quam naturalis, sed potentia etiam per eum perfectiùs tendit in obiectum: atqui ad hoc requiritur ut ipsa per se prae-
cisè perfectiùs influat in ipsum actum: ergo hoc dicendum est. Minor probatur, quia potentia non tendit per aliquem actum in obiectum nisi eum per se immediatè producat (nam si Deus in intellectu solus aliquem actum produceret, ille per hunc nullo modo intelligeret): ergo ut perfectiùs per eum tendat in obiectum, non sufficit hunc secundum se esse perfectiorem, sed requiritur ut potentia per se immediatè perfectiùs eum producat.

CONCLVSIO. Nec sola gratia siue auxilium supernaturale, nec sola potentia immediatè producat actum supernaturalem: sed utraque simul in eum immediatè effectiue influat. Ita Molina in Concord. disp. 36. §. Huius ita constitutis, & Bekanus de Attributis diuinis c. 9. qu. 3. num. 5. Probatur Primò, quia aperte colligitur ex Scriptura, quae docet in ijs actibus producendis gratiam collaborare libero arbitrio, & hoc vna cum gratia laborare. Sapient. 9. Mitte eam de ca-
lis sanctis tuis & à sede magnitudinis tuae, ut mecum sit & mecum laboret. 1. ad Corinth. 15. ait Apostolus: Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem (scilicet solus) sed gratia Dei mecum. Vbi expresse dicitur nos cum gratia Dei laborare, & gratiam nobiscum: atqui hoc propriè loquendo esset falsum, nisi tam gratia, quam potentia in actum immediatè influeret: ergo hoc dicendum est. Minor patet; quia aliàs vna non laboraret cum alia, sed per aliam: sicut aqua non calefacit cum calore, sed per calorem; nec anima intelligit cum intellectu, sed per intellectum.

Probatur Secundò, ex Patribus, qui similiter docent, liberum arbitrium vna cum gratia producere liberum consensum. Hinc D. Augustinus libro de Corrept. & gratia cap. 11. & alibi sapè, gratiam vocat adiutorium, quo voluntas in operando adiuvatur: adiuvamur autem ab eo, quo cum simul laboramus. Item ad Simplicianum l. 1. qu. 2. Vt velimus, ait, suum voluit esse & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. & infra: Nam si propterea tantum dictum est, Non volentis neque

Potest idem effectus à duabus causis ita procedere, ut à singulis procedat totus.

Lumen productum à duabus candelis produci-
tur totum à singulis.

Actus supernaturalis produci-
tur totus à gratia, & totus à potentia.
Molina.
Suarez.

Molina.

Potest quis esse causa totius actionis, etsi non sit causa cur sit talis speciei.

45

46

47

Molina.
Bekanus.

Sapient.
1. Corinth.

Aliud est agere cum gratia, aliud agere per gratiam.

48

August.

Cur bene
operari po-
tius sit Dei
miserentis,
quam ho-
minis volen-
tis.

49
Bernard.

que currentis, sed miserentis est Deus, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut in se reteg. viamur, nisi adiuvemur misericordia Dei; potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Deus, sed volentis est hominis: quia misericordia sola non sufficit, nisi consensus nostra voluntatis addatur. Deinde docet, ideo prius recte dici, non tamen secundum; non quia gratia sola immediate producit effectum; sed quia ipsa facit etiam ut velimus; sine qua gratia preuenit nostram bonam voluntatem, non tamen voluntas gratiam. Vbi aperte docet, in hoc opere sicut gratia inuatur voluntatem, ita gratiam requirere voluntatem, & neutram sine alia aliquid posse: quæ tamen falsa sunt secundum aliam sententiam. nam calor inherens aquæ, hanc non inuatur in producendo calore, sed solus totum producit, nec indiget aqua proprie ut calorem producat, sed solum ut ei inhaereat.

Sed pulcherrimè & clarissimè hæc explicat D. Bernardus libr. de Gratia & libero arbitrio circa finem: ubi explicans locum Apostoli supra citatum, inquit, Non autem ego, ait, sed gratia Dei mecum: potuit dicere, Per me, sed quia minus erat, maluit dicere Mecum; præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum; sed etiam operantis quodammodo socium per consensum. & infra: Si igitur Deus tria hæc (hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere) operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. & infra: Ad hoc utrique præueniens (scilicet voluntatem nostram) ut iam sibi deinceps cooperemur ita tamen quod à sola gratia ceptum est, pariter ab utroque perficitur: ut mixtum, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur: non partim gratia, partim libero arbitrio, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in hoc, ita totum ex illa.

Quæ vltima verba addit, ut ostendat quid in productione liberi consensus sit proprium gratiæ, scilicet, quod totus actus hac ratione singulariter sit ex illa, quatenus ipsa præuenit voluntatem, eamque ad operandum excitat, atque ita primum initium ipsius operis fumentum est à sola præueniente gratia. Item quid sit proprium libero arbitrio, quod scilicet totus actus in eo solo recipiatur. Quibus verbis Primò, clarissimè docet nostram sententiam, scilicet gratiam & voluntatem simul operari liberum consensum se mutuo adiuvando, ita ut voluntas sit focia gratiæ in operando, atque ita se inuenit sicut socius socium, qui sine dubio simul influunt in effectum tamquam causæ pattiales. Item docet, effectum posse dicto modo ita à duabus causis produci, ut tamen totus sit à singulis. Secundò, explicat quid sibi velint Patres, dum negant opus bonum produci partim à libero arbitrio, & partim à gratia, ut num. 64. clariùs ostendam.

51 Probatum conclusio contra primam sententiam, ratione Primò, quia secundum eam, ut etiam Bañez concedit, potentia non aliter concurreret ad productionem actus, quam aqua, quæ habet in se calorem, concurrat ad calefactionem: atqui hæc secundum se solum materialiter & passiuè se habet respectu productionis caloris: ergo potentia similiter se haberet re-

spectu productionis illius actus. Consequens autem & per se absurdum est, & videtur aperte sententia Lutheri damnata à Trident. sess. 6. c. Trident. 5. & can. 4. ergo etiam id unde hoc sequitur, est absurdum.

Minor probatur, quia id dicitur se habere merè materialiter respectu alicuius actionis, quod nulla ratione in illam per se immediatè influat, & principio formali nullam vim agendi confert; sed solum eatenus ad actionem concurrat, quatenus formā à qua effectus totaliter producit in se sufficit: atqui aqua, quæ habet in se calorem, ita se habet respectu alterius caloris producti: ergo se habet merè materialiter.

Alvarez de Auxilijs disp. 64. n. 6. negat maiorem prioris syllogismi. & assignat duplicem differentiam inter aquam calefacientem & potentiam producentem actum supernaturalem. Prima est, quod aqua ex se nullam habeat vim producendi calorem ne quidem remotam & radicalem; secus autem esse in potentia respectu actus supernaturalis. Secunda est, quod aqua per calorem non eleuetur ad producendum actum intra latitudinem propriæ actiuitatis, & obiecti proprii; secus autem esse in potentia respectu actus supernaturalis.

Sed neutra differentia secundum eam sententiam potest consistere. non prior: nam vel ideo voluntas dicitur habere remotam & radicalem potentiam productiuam actus supernaturalis, quia habet verè aliquam potentiam per se immediatè effectiuè influendi in illum actum, licet per se insufficientem quæ per gratiam adita vnà cum ea immediatè in effectum influat, sicut nos fieri dicimus. Sed hoc Alvarez cum suis negat. Vel dicitur eam vim ita habere, quia potest producere aliquam formam, vel saltem eam naturaliter requirit, quæ potens sit talem effectum immediatè producere: sicut multi aiunt, potentias realiter ab anima distinctas naturaliter ex ea manare, quibus ipsa actus vitales producit. Et hoc dici nequit; quia si potentia esset causa siue principium gratiæ, & hæc ei esset naturalis. Vel demum ideo anima dicitur habere potentiam remotam producendi eos actus, quia Deus potest ei infundere gratiam, quæ est forma productiuā talium actuum: & sic aqua eodem modo habet potentiam remotam producendi calorem. imò multò maiori ratione: nam aqua potest naturaliter acquirere formam productiuam caloris; potentia solum supernaturaliter potest acquirere formam productiuam actus supernaturalis.

Secunda etiam differentia nulla est: nam actum aliquem esse intra latitudinem propriæ actiuitatis alicuius potentie, nihil est aliud quam potentiam posse eum aut se sola, aut saltem cum alterius adiutorio ita producere ut per se immediatè in eum influat, aut saltem mediante aliquo suo effectui, aut connaturali instrumento. Secundum Alvarez autè nihil horum dici potest, de potentia respectu actus supernaturalis: nam nec secundum, ut per se patet: nec etiam prius. nam secundum illum nec potentia magis immediatè influat effectiuè in actum supernaturalem, quam aqua in calorem, nec ex se ma-

Quid sit po-
tentiam se
habere merè
materialiter.

52
Alvarez.

53

54

Alvarez.

gis

Bañez.

Voluntas non
potest dici se
habere merè
materialiter
respectu a-
ctus super-
naturalis.

gis est effectiu illius, quam aqua huius. Quod autem potētia producat illum actum median- te gratia, nihil facit ad rem, quia eodem modo aqua producit calorem mediante calore: ergo vel utraque causa eleuatur ad producendum effectum intra latitudinem suae actiuitatis, vel neutra.

55 Dices, ideo actum supernaturalem dici esse intra latitudinem actiuitatis ipsius potētia, quia haec potest ex se circa obiectum illius actus agere. Sed contra Primò, sic non ipse actus, sed solum obiectum erit intra latitudinem actiuitatis illius potētia. Secundò, quia sicut potētia potest ex se circa Deum producere alium actum: ita etiam aqua potest circa id quod calefacta calefacit, ex se edere aliam actionem, scilicet frigefactionem: ergo haecenus in utroque est paritas.

56 Confirmantur haec omnia: nam vel potētia in productione illius actus est partialē principium formale, vel nō. Si prius dicatur, sequetur contra illam sententiam, gratiam non esse totale principium formale; si secundum dicatur, sequitur potētia secundum se esse principium merē materiale illius actus, atque ita se habere merē materialiter ac passiuē in eius productione. Probatur sequela, quia in praesenti casu, esse merum principium materiale alicuius actus, nihil est aliud quam nulla ex parte esse eius principium formale: sicut alicubi esse meras tenebras, nihil est aliud quam ibi nihil esse lucis. Item aliquem in aliquo actu ex parte sua se habere merē passiuē, nihil est aliud quam ipsum ex parte sua nihil in eo producere.

57 Hinc probatur concl. Secundò, velenim potētia secundum se, & prout distinguitur à gratia, aliquid agit vnā cum gratia, influendo in illum actum; vel nihil omnino agit. Si prius dicatur, nostra sententia erit vera, & potētia non solum erit principium materiale illius actus, sed etiam ex parte formale, & in eum influet virtute sua naturali, siue ea quam ex se habet. quod Auctores contrariae sententiae negant. Si secundum dicatur, sequetur solum gratiam producere actum supernaturalem, & liberum arbitrium secundum se nihil agere, sed habere se merē passiuē. sicut in actionibus substantiarum materia prima ex parte sua, & secundum se sumpta, & prout distinguitur à forma, nihil omnino agit, ideoque habet se merē materialiter & passiuē. Illud autem videtur aperta sententia Lutheri damnata à Trident. sess. 6 c. 5. & can. 3.

Trident.

58
Aluarez.

Dices Primò, cum Aluarez supra disp. 85. nū. 2. & 7. non solum gratiam, sed etiam liberum arbitrium simul cum ea effectiuē ad actum supernaturalem concurrere; solum tamen Deum & gratiam efficere, ut liberum arbitrium cooperetur; non solum dando ei vires quibus fiat proximē potens operari, ipsumque ad hoc alliciendo, sed etiam efficiendo ipsum conatum, quo influit in actum, ita ut conatus liberi arbitrij non sit distinctus à conatu gratiae.

59 Sed velex similibus loquendi modis tam in hac quam in alijs aliquorum sententijs satis videas eas parum aut nihil probabilitatis habere, quae aliter nequeant defendi, nisi ita ad obie-

ctiones respondendo, ut quid dicatur nequeat intelligi, & vno verbo negetur quod alio asseritur. nam potētia vnā cum gratia efficere ipsum actum, est ipsam conatu & influxu partiali proprio in eum influere; aliā, ut supra dixi, non influet simul cum gratia, sed per gratiam. Item potētia merē liberē efficere ipsum actum necessariò & intrinsecē, dicit ipsam seipsam saltem partialiter mouere ad agendum; ita ut per gratiam prius excitata non solum per hanc, sed simuletiam cum hac per se immediatē in effectum influat. Quod, si Aluarez fieri concedat, ei nobiscum conueniet; si neget, frustra quaerit inuolucra verborum, quibus suum sensum tegat, ut videatur sentire potētia aliter producere actum supernaturalem, quam aqua calorem producat: quia etiam calor inherens aquae huic vires calefaciendi tribuit, & efficit omnem conatum, quem aqua ad calefaciendum exhibet, quia non est aliud quam conatus ipsius caloris. Quare omnino est impossibile me non solum per gratiam, sed vnā cum ea liberē aliquam actionem producere, nisi eius sim verē immediatā causa; siue nisi sim causa saltem partialis, cui illa me immediatē procedat. Quibus apertē repugnat solum gratiam ita facere ut faciam ut conatus meus siue influxus in effectum nullo modo procedat à me, nisi quatenus procedat à gratia: licenim non agerem nisi per gratiam; sicut aqua calefacit per calorem. Quod quantumuis Aluarez conetur negare, tamē ei cum Bañez fatendum est, si suam sententiam velit tueri, ut patet ex dictis.

Aluarez.

Bañez.

Dices Secundò, cum Aluarez superius, nū. 5. Pater & Filius simul producant Spiritum sanctum, & tamen id non faciunt ut duae causae partiales, aut ex parte sua distinctae & partiali influxu: ergo hoc non requiritur, ut duae causae eundem effectum simul producant.

60

Aluarez.

Sed hoc exemplum potius à nobis facit, & alteram sententiam refutat: nam Pater & Filius non ita producant Spiritum sanctum, ut vnus solus eum immediatē producat, & alter solum eo mediante, sicut Aluarez vult voluntatem producere actum supernaturalem mediāte gratia, quae sola immediatē eum producat: sed uterque eque immediatē Spiritum sanctum producat, sicut nos dicimus gratiam simul cum voluntate producere actum supernaturalem: hac tamē differētia: quod Pater & Filius habeant eandē omnino essentiam & voluntatē, quae est totale principium formale productionis Spiritus S. & ideo nō producant eum tamquam duo principia, aut simpliciter tamquā duo, sed tamquam vnū principium; quare mirum nō est quod non sint duae causae partiales. Secus est in voluntate & gratia; nam utraque est potētia actiua distincta, atque ita sunt duae potētia actiuae, quae non possunt dici sibi mutuo cooperari, simul producendo eundem effectum, si vna sola eum immediatē producat. Sicut Pater & Filius non possunt dici simul producere Spiritum sanctum, si solus Filius eum immediatē produceret. sed tunc Pater solum produceret Spiritum sanctum per Filium, sicut iam eum producit per voluntatem, non autem vnā cum voluntate:

Quare gratia & voluntas sint potius duae causae partiales, quam Pater & Filius in inspiratione Spiritus sancti.

&

& generat Filium per intellectum, non autem vna cum intellectu.

62 Ad primum argumentum prioris sententiae allatum n. 40. nego consequentiam. Ad probationem, Respondeo potentiam esse quidem omnino improporcionatam, vt sola sine alio auxilio talem actum producat, aut in eum influat; non autem vt hac faciat adiuta auxilio supernaturali: sicut habens solam potentiam leuandi vt 10. nequit per se leuare lapidem ponderantem 100. & habet potentiam ad id improporcionatam, habet tamen potentiam proportionatam vt eum cum alio leuet, qui potentiam habet vt 90.

63 Nec refert quod hic solus possit illi lapidi aliquo impetum imprimere, licet insufficientem ad eius leuationem. Item quod facere actionem eiusdem speciei cum illa. Quae secus habent in potentia respectu actus supernaturalis. quia inde solum sequitur, hunc actum esse alterius speciei siue ordinis quam sit vllus actus, quem potentia per se possit producere; atque ideo vt eum possit producere, debere eleuari siue adiuuari aliquo principio altioris ordinis: quod nos libenter concedimus. nullo autem modo inde sequitur, eam adiutam tali principio non posse simul cum eo vnā integram causam constituit, qua talis actus producat. nam sicut illa potentia vt 10. potest per se producere in eo lapide aliquem impetum imperfectum: ita potentia naturalis potest, v. c. circa Deum producere amorem aut cognitionem imperfectam & inferioris ordinis. & sicut illa potest per auxilium eiusdem ordinis eleuari ad actum perfectiorem intra eandem speciem: ita haec potest eleuari per auxilium superioris ordinis ad actum superioris ordinis. Aliud exemplum adferri potest in intellectu & specie intelligibili, quorum vtrumque secundum se est omnino improporcionatum ad producendam intellectiōem: & vtrumque simul sumptum est proportionatum vt eam cum altero producat.

Ad secundum, nego maiorem generatim sumptam: nam aliquando fallit, vt ostendam dub. 6. vbi eam difficultatem tractabo.

64 Ad tertium, distinguo maiorem: vel enim solum dicit actum supernaturalem non ita tribuendum esse gratiae, vt nullo modo tribuatur libero arbitrio tamquam vera ipsius partiali causa, & à cuius influxu & libertate verè pendeat. & hoc sensu verissima est, eamque aperte docent Trident. sess. 6. c. 5. & can. 4. & Scripturae ac Patres citati num. 47. 48. &c. Vel dicit actum secundum aliquam sui partem produci à solo libero arbitrio, & secundum aliam à gratia, prout dicebant Semipelagiani, qui volebant nos incipere prius bene agere, & postea à gratia iuari, atque ita initium & priorem partem boni operis tribuebant soli libero arbitrio, & posteriorem gratiae. quod haereticum est, nec vllō modo ex nostra sententia sequitur. & hoc solum in Semipelagianis dicti Patres locis supra citatis damnarunt, vt illi ipsi in iisdem locis aperte docent. Vnde etiam D. Bernardus supra tam studiosè inculcat, gratiam & liberum arbi-

trium non producere actum supernaturalem per partes & vicissim, sed simul & singulatim.

Locus autem Augustini ex lib. 2. de Praedest. cap. 6. nihil facit ad rem: quia ibi non agit de vno actu, sed de serie actuum totius vitae. docetque Deum non solum dare nobis initium vitae bonae, scilicet fidem & caritatem, qua initio iustificamur (prout aliqui videbantur velle) sed dare etiam nobis donum perseverantiae, siue iam iustificatis sepe subministrare auxilia actualia, sine quibus non possemus perseverare. vt docet Trident. sess. 6. c. 22.

Ad primum argumentum secundae sententiae allatum num. 45. nego minorem. nam vt actio tota sit vitalis, sufficit quod tota procedat à potentia vitaliter operante; nec vllō modo requiritur vt ab ea sola immediatè procedat: nam alias sequeretur, actiones vitales non procedere immediatè à Deo per generalem concursum. Ad secundum, nego minorem; & ad probationem, nego consequentiam. Quia potentia vitalitendit in obiectum non solum per productionem sui actus, sed etiam per eiusdem in se receptionem: quare sicut illa, quo hic est perfectior, eo perfectiore forma informatur; ita etiam perfectius in obiectum tendit.

Nec his obstat, quod hic non percipiamus nos aliter tēdere in obiectum per actum supernaturalem, quam per naturalem: quia hoc accidit ex eo quod intellectus noster in suis operationibus hic multum pendet à phantasia, ideoque merè spiritualia, & consequenter eiusmodi actus non ita clarè percipimus, nisi aut ratione conatus, quo potentia in eos influit; aut ratione maioris claritatis ipsorum actuum, quando hi euidenter sunt; aut quia per eos potentia in obiectum sensibilibiter rapitur; aut quia spiritus vitales concitantur; aut ex similibus causis: quae cum in hac vita saepe in vtriusque actibus paria sunt, non possumus satis distinguere inter actum naturalem & supernaturalem.

Hinc sequitur Primum, potentiam naturalem in hac vita ex parte sua communiter non aliter influere in actum supernaturalem, quam in naturalem circa idem obiectum: sicut cum duo habentes singuli vires vt 50. simul leuant pondus vt 100. eodem modo singuli in actum influunt, ac si soli leuant pondus vt 50.

Dixi communiter, quia ratione gratiae praue-nientis potentia saepe vehemētius in obiectum influit, quam alias influeret. Imo quandoque, quando Deus aliqua spiritualia clarè alicuius intellectui obijcit (quod Moysi in monte, D. Paulo in raptu, Beato Patri nostro in reuelatione mysterij Trinitatis, alijsque quibusdam miraculose accidit) hic altiore & perfectiore modo in obiectum influit, quam alias naturaliter influere posset ob defectum sufficientis propositionis, & consequenter proportionis ipsius obiecti respectu potentiae. quo enim aliquod obiectum clariùs proponitur potentiae cognoscituae, eo est ei magis proportionatum, & hac perfectius in eius cognitionem influit. Idemque multò potiore ratione dicendum est de influxu potentiae in claram visionem Dei & amorem bea-

65
August.

Trident.
66

Potentia vitalis perfectiore actu perfectius tendit in obiectum, et si ipsa in eum perfectius non influat.

67
Quare hic non percipiamus perfectiorem actum supernaturalem.

68
Potentia ex sua parte eodem modo influit in actum naturalem & supernaturalem.

69
Gratia tamē praue-niens efficit vt potentia vehementius, aut altiore modo in obiectum influat.

Trident.

Bernard.

70
Potentia po-
test elicere
actum super-
naturalem
per auxilium
sibi extrin-
secum.

beatificum, ut ostendam disput. 23. dub. 3. n. 18.
Sequitur Secundò, ut potentia ad actum su-
pernaturalem etiam vitalem elicendum eleuetur,
non esse opus hoc fieri per aliquid ei inhæ-
rens, sed sufficere Deum cum ea immediatè in
ipsum actum singulari ac supernaturali con-
cursu influere. nam ut actus sit totus vitalis, suf-
ficit quòd totus potentia inhæreat, totusque
ab ea etiam non sola producat: quòd autem
principium illud supernaturale, quo potentia
adiuuatur, illi inhæreat, aut non inhæreat, nihil
facit ad rem. unde si secundum priorem sen-
tentiam actus immediatè procederet à solo au-
xilium supernaturali, siue hoc esset aliquid po-
tentia intrinsicum, siue non, actus esset abso-
lutè non vitalis.

D V B I V M VI.

*Utrum perfectior potentia cum aequali auxi-
lio perfectiorem actum supernaturalem e-
liciat?*

71
Scotus.

PRæcipua hîc difficultas est de actibus pa-
triae: nam de actibus huius viæ Auctores hoc
non ita tractant: & inter utrosque actus magna
est differentia, ut ex dicendis patebit.

Scotus igitur in 4. d. 13. qu. 3. & d. 14. q. 4. & in
4. d. 50. qu. 6. conclus. 4. & 5. cum suis, & quidam
alii absolutè affirmant, perfectiorem potèntiam
cum aequali habitu supernaturali perfectiorem
actum elicere. Probant, quia perfectius princi-
pium producit perfectiorem effectum: atqui
perfectior potentia cum aequali lumine consti-
tuit perfectius principium: ergo producit per-
fectiorem effectum.

72
1. Corinth.
Habentes æ-
qualia me-
rita æquali-
ter videbunt
Deum.

Sed hoc non videtur posse dici. quia visio
beata est merces meritum, quæ pro horum
magnitudine datur maior; ut omnes Catholici
docent, & patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 3. v-
bi ait: *Vnusquisque autem propriam mercedem acci-
piet secundum suum laborem.* (merita autem hîc
accipio paulò latius, prout includunt etiam sus-
ceptionem Sacramentorum, quæ gratia ex o-
pere operato confertur) atqui angelus & ho-
mo possunt habere æqualia merita: ergo habe-
bunt æqualem beatitudinē siue visionem bea-
tificam, quòd verum non esset, si ille cum æqua-
li lumine videret perfectius Deum: nam cum
angelus habens æqualia merita cum aliquo ho-
mine, habeat æqualem cum eo caritatem, &
consequenter æquale lumen gloriæ, secundum
illam sententiam deberet perfectius videre
Deum.

73
Ipsa visio
beatifica est
propterea mer-
ces merito-
rum.

Genes.

Respondent aliqui, immediatum meritum
præmium esse ipsum lumen gloriæ, & hoc æ-
quale conferri æqualibus meritis; quòd autem
sequatur inæqualis visio, esse per accidēs ratio-
ne perfectioris naturæ, quam gratia non de-
struit. Sed contrà, nostra beatitudo immediatè
consistit in visione Dei, & hæc ubique promit-
titur ut merces, quæ essentialiter respicit meri-
ta, non autem naturam, & pro illorum perfe-
ctione maior promittitur. Confirm. quia ipse
Deus ut merces laborum nobis promittitur Ge-
nes. 15. v. 1. non est autem aliter operum nostro-

rum merces, nisi qui tenus à nobis possidetur,
quòd fit præcisè per visionem & amorem bea-
tificum: ergo est nostra merces, quæ visus & a-
matus; & sicut quo in patria perfectius videtur
& amatur, eo magis possidetur, ita eo maior est
merces. & consequenter ut merces respondeat
meritis, habentes maiora merita debent eum
clariùs videre.

Respondent alij, minus lumen dandum per-
fectioni naturæ, ut sic fiat æqualitas in visione.

Sed nec hoc potest dici: quia sequeretur, et-
iam tali pro æqualibus meritis hîc dari mino-
rem gratiam, siue caritatem. quòd dici nequit:
nam caritas semper est maior in eo qui habet
maiore merita, & æqualis in habentibus æqua-
lia merita. Lumen autem gloriæ in intentione
responder caritati: alioqui in patria visio non
responderet amoris, quòd est falsum.

Ob hæc argumenta alij concedunt quidem
habentes æquale lumen de facto æqualiter vi-
dere Deum, eò quòd Deus intellectus imper-
fectioris defectum singulari concursu suppleat;
visuros tamè inæqualiter nisi Deus hoc faceret.

Quæ sententia non potest tam clarè refuta-
ri: displicet tamen Primò, quia sic omnis intel-
lectus inferior intellectu supremi angeli indige-
ret dupliciter eleuari ad suam beatitudinem,
scilicet per lumen gloriæ, & per singularem il-
lum concursum; & sic per lumen gloriæ non
absolutè, sed tantum inchoatiuè eleuaretur ad
visionem Dei sibi debitam; cum tamen Concil.
Viennense dicat absolutè eum eleuari per lumen
gloriæ ad videndum Deum. Secundò, quia sic
per lumen gloriæ forte solus intellectus vnius
angeli constitueretur intrinsecè potens ad vi-
sionem sibi debitam, atque ita in alijs lumen
gloriæ frustra esset; quia sola causa cur illud de-
tur est, ut intellectus sit intrinsecè potens ad vi-
sionem sibi debitam; elicendam, quam alijs si-
ne eo per singularem Dei concursum faciliè pos-
set elicere. Quare si vno fortè, aut saltem vnica
specie angelorum excepta; reliqui omnes ut
debitam suis meritis gloriæ assequantur, non
obstante lumine gloriæ debent præterea sin-
gulari Dei concursu ad illud eleuari; frustra hoc
lumen dabitur, cum illi sine eo, per singularem
Dei concursum, possint sufficienter eleuari ad
visionem Dei sibi debitam.

Quòd autem eo casu alij omnes deberent
singulari illo Dei concursu ita eleuari, patet:
quia, sicut posito quòd summus angelus ha-
beat merita, & consequenter lumen gloriæ ut
centum, omnes inferiores habentes cum eo æ-
quale lumen, deberent singulari concursu ele-
uari, ut possent tantum videre Deum quantum
ille videt cum lumine ut centum: ita qui habe-
rent lumen ut 90. 80. aut 70. deberent eleuari
ut tantum viderent Deum, quantum ille eum
videret cum simili lumine: hi enim proportio-
naliter debent videre Deum tam perfecte quàm
habentes lumen ut 100. ita ut qui ab his tan-
tum distant 10. gradibus in lumine, etiam distet
solum 10. gradibus in visione, & sic consequen-
ter in alijs. v. e. ponamus perfectissimum ange-
lum cum lumine intentio ut centum elicere vi-
sionem perfectam ut 100. talis cum lumine per-
fecto

74

Habentibus
æqualia me-
rita datur æ-
quale lumen
gloriæ.

75

76
Deus non
supplet de-
fectum in-
tellectus im-
perfectioris.

Cont. Vien-
nense.

77